*MASTER*
*NEGATIVE*
*NO. 93-81553-4*

*AUTHOR:*

WIESELER, FRIEDRICH

*TITLE:*

SCHEDAE CRITICAE ATQUE EXEGETICAE...

*PLACE:*

GOTTINGAE

*DATE:*

1869

Master Negative #

93-81553-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Wieseler, Friedrich, 1811-1892.
...Schedae criticae atque exegeticae in aliquot scriptores Graecos et Latinos. Gottingae, typis expressit officina academica Dieterichiana, [1869].
15 p. 26 cm.

At head of title: Index scholarum...in Academia Georgia Augusta...1869...habendarum. Insunt Friderici Wieseleri Schedae...

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13.5x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 7/7/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Herrn Prof. Dr. phil. Leo Meyer in Dorpat mit besten Gruß d. Verf.

# INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

## GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

ANNI MDCCCLXIX

A. D. XV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI

HABENDARUM.

---

*Insunt Friderici Wieseleri Schedae criticae atque exegeticae in aliquot scriptores Graecos et Latinos.*

---

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

69

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
# HENRICUS THÖL D.
CUM SENATU.

---

Veterum scriptorum verbis recte interpretandis emendandisque imprimis niti studia antiquitatis, confessa res est. At non minus certum, non posse verba recte intelligi nisi ab eo qui rerum verbis expressarum idoneam habeat rationem. Ad quam rem uti jam saepius in scriptis meis digitum intendi, ita etiam hac scribendi occasione oblata commentandos elegi veterum scriptorum locos quosdam vel corruptos vel minus recte explicatos, in quibus res iis, quae in libris mscr. reperiuntur, verbis significatae difficultatem creant.

Ordinem ducat

## I.
## Hesiodus.

### 1.

Is in Theogonia postquam vs. 133 sq. duodecim Coeli et Terrae liberos, qui Titanes appellabantur, enumeravit et vs. 139 sq. de Cyclopibus et Centimanis verba fecit, quibus insolitam eorum formam et vim atque robur extulit, vs. 154 sq. ita pergit:

*Ὅσσοι γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο,*
*δεινότατοι παίδων, σφετέρῳ δ' ἤχθοντο τοκῆϊ*
*ἐξ ἀρχῆς. καὶ τῶν μὲν ὅπως τις πρῶτα γένοιτο,*
*πάντας ἀποκρύπτασκε, καὶ ἐς φάος οὐκ ἀνίεσκε,*
*Γαίης ἐν κευθμῶνι, κακῷ δ' ἐπετέρπετο ἔργῳ*
*Οὐρανός.*

Corrupta esse haec verba manifestum est. Neque enim omnes Coeli et Terrae liberi vel filii dici poterant ***δεινότατοι,*** neque infra terram detrusi sunt alii quam Cyclopes et Centimani qui vocabantur. Vir summus, qui nuper Theogoniam elegantissime interpretatus est libro, qui inscribitur „Die Hesiodische Theogonie ausgelegt und beurtheilt von G. F. Schoemann", recensis emendandi atque explicandi periculis, quae vel alii fecerant, vel ipse, p. 108 sq. profitetur, se haudquaquam adversaturum esse ei, qui conjecturam in Mus. Rhenan. T. XIX, p. 624 sq. propositam ab Overbeckio pro ***ὅσσοι*** scribendum esse censente: ***οὗτοι,*** probandam censeat, in quam se ipsum incidisse dicit. Id mihi quoque contigit. Nec tamen putaverim, hac conjectura recepta emendationem loci perfectam esse. Vel sic enim opinor

poetam etiam illud accuratius significare debuisse, tam de Cyclopibus, quam de Centimanis sermonem esse, quum praesertim hi post illos nati sint et ii, qui juniores sunt, plus valeant in Theogonia; ne dicam, cavendum etiam fuisse, ne Saturnus quoque intelligeretur, quippe de quo paullo supra vs. 137 sq. expressis verbis traditum sit:

*τοὺς δὲ μεθ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης,*
*δεινότατος παίδων.*

Itaque, jam antequam mihi innotuisset Overbeckii conjectura, scribendum esse ratus sum:

*οὗτοι δ' ἄρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξ ἐγένοντο*
*δεινότατοι παίδων* cett.

Mendum, quod ego correxi, eo facilius oriri potuit, quod paullo supra vs. 147 scriptum est: *Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο*, ut etiam infra vs. 421.

2.

In Theogon. vs. 200 sq. de Venere leguntur haecce:

*τῇ δ' Ἔρος ὡμάρτησε καὶ Ἵμερος ἕσπετο καλός,*
*γεινομένῃ τὰ πρῶτα θεῶν τ' ἐς φῦλον ἰούσῃ.*

Num *Ἱμέρου* sive Cupidinis hic mentio facta sit, vehementer dubito, non ob eam solam caussam, quod antea omnino non est commemoratus in Theogonia. Welckero in libro, quo de diis Graecis exposuit, *Ἵμερος* deus demum a Scopa inductus videtur (Vol. II, p. 723 sq.); cfr. etiam quae disputavit Carolus Friederichs in libro, qui inscribitur „Praxiteles und die Niobegruppe", p. 58 sq. Commemoratur sane *Ἵμερος* in prooemio Theogoniae, vs. 64, ubi non est comes Veneris, sed Musarum, simul cum Gratiis; at hunc locum nihil, opinor, impedit, quin aetatis inferioris esse judicemus. Idem cadit in exempla dei a scriptoribus commemorati vel artium operibus expressi, quae ab Ottone Jahnio congesta sunt in Annal. inst. archaeol. Rom. Vol. XXIX, p. 129 sq. Aut ego fallor, aut scripserat poeta:

*τῇ δ' Ἔρος ὡμάρτησε, καὶ ἱμέρῳ ἕσπετο, καλός.*

Apte Amor ipse desiderio obsequutus esse dicitur. Idem quam saepe pulcher appelletur, notissimum est. Ipse Theogoniae poeta vs. 120 dicit:

*ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι.*

De verbis *καὶ ἱμέρῳ ἕσπετο* interpositis cfr. vs. 157 al. In eo, quod usus, quem hoc loco habere statuimus verbum *ἕπεσθαι*, prima exempla servata sunt nobis apud Herodotum V, 18 et IX, 16, et Thucydidem II, 35, minime est offendendum.

3.

In Theogon. vs. 217 sq. haec habentur de Nocte dicta:

*καὶ Μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους,*
*[Κλωθώ τε Λάχεσιν τε καὶ Ἄτροπον, αἵτε βροτοῖσιν*
*γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε,]*
*αἵτ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσιν,*
*οὐδέ ποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο,*
*πρίν γ' ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν, ὅστις ἁμάρτῃ.*



Plane adstipulor iis, quae Schoemannus l. c. p. 132 sq. de hoc loco disputavit, versus 218 et 219 temere illatos esse verborum in perpetuitatem judicans. At impetrare a me non possum, ut credam, vs. 217 *Μοίρας* antiquitus fuisse commemoratas. Neque enim agnoscendum duco discrimen illud, quod vir summus esse putat inter *Μοίρας* infra vs. 904 sq. commemoratas atque eas, de quibus hoc loco sermo sit. Ut hoc unum moneam, Aeschylus Prometh. vinct. vs. 514 Wellauer. profecto nullas alias agnovit quam tres illas, quum expressis verbis appellet *Μοίρας τριμόρφους*. Nam hoc epitheton quamvis ego non ab Aeschylo ipso prolatum esse censeam, at vix negari posse opinor, ita emendandum esse, ut ternarius Parcarum numerus significetur. Itaque ego statuo, nomen *Μοίρας* corruptum esse ex adjectivo aliquo ad literarum tractus proxime accedente, quod alterum esset verbi *Κῆρας* epitheton. Quae sententia commendatur etiam eo, quod, si poeta *Μοίρας* illas, de quibus cogitat Schoemannus, revera habuisset in animo, procul dubio provinciam earum et munus ipsis delatum nonnullis verbis significasset. Conjicio autem antiquitus scriptum fuisse:

*καὶ μογερὰς δὴ Κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους,*

Postquam ex *μογερὰς* casu *Μοιρὰς* factum est, pro *δὴ* scriberetur oportuit *καί*. Subinde versus 218 et 219, qui infra vs. 905 et 906 leguntur, adscripti sunt. Epitheton *μογερὰ* aptissimum; cfr. ex. gr. Aeschyl. Sept. vs. 960 et 975: *Μοῖρα βαρυδότειρα μογερά.* Non opinor offensioni esse posse, quod vocabulum *μογερὸς* alias non reperitur apud poetas antiquiores. Satis prope ad verbum *Μοίρας* accederet etiam *μιαράς*. At videtur id ad sententiam minus esse aptum. Neque enim cogitandum est de iis, quae *Κῆρες* appellantur apud Homerum Il. XVIII, 535 et apud Hesiod. Scut. Hercul. vs. 249 sq., aut de iis, quas Plato de leg. XI p. 937 D respicit his verbis: *τοῖς πλείστοις (τῶν ἐν τῷ ἀνθρώπων βίῳ καλῶν) οἷον Κῆρες ἐπιπεφύκασιν, αἳ καταμιαίνουσί τε καὶ καταῤῥυπαίνουσιν αὐτά,* nec veri speciem haberet ullam, si quis conjecturam proferret, *μιαρὰς* dici potuisse *Κῆρας Ἐρίννας* (Aeschyl. Sept. vs. 1047) — quae hoc loco intelligendae sunt aeque atque apud Euripidem Electr. vs. 1252 — propterea quod Furiae sanguinem ex oculis stillare et hominibus sanguinem exsugere visae essent Aeschylo, vid. Choeph. vs. 1054, Eumen. vs. 254 sq., 292, 295.

4.

In Theogon. vs. 353 quae inter Oceanitides recensentur

*Πληξαύρη τε Γαλαξαύρη τε,*

quomodo explicandae essent, nullumdum intellexisse, quovis pignore contenderim. Ipse adeo Schoemannus comment. de Nereidum et Oceanidum catalogis p. 6 = Opusc. acad. Vol. II p. 149 acquievit in his sententiis: „*Πληξαύρη, Auriverbera*, quae auras verberat, sive quod vehementi scaturigine in altum tollitur, sive quod ex alto monte per auras desilit, *Γαλαξαύρη* autem, *Lactaura*, quae auras lactat h. e. nutrit. Nam respiratione aquarum aer nutriri credebatur, ut de Ismeno fluvio auras *bibere* Statius dicit, Theb. IX, 405: de nympha poterat etiam *lactari* auras dicere, quandoquidem aquas poetae nonnunquam lactis instar e papillis nympharum per-

manare fingunt.“ Repetivit vir summus has explicationes in commentario ad Theogoniam Hesiodeam, p. 174, sed ita, ut eam, quam de secunda Oceanitide protulit, dubiam sibi videri significaverit et digitum intenderit ad conjecturam Guyeti, scribendum esse censentis: *Μαλαξαύρη*. Quae sententia eo est improbabilior, quod etiam in Hymn. Homer. in Cer. vs. 423 *Γαλαξαύρη* recensetur inter comites Proserpinae. Dubium esse non potest, quin bina illa nomina ad eandem rem spectent, ita tamen ut diversa quaedam ejus rei species significetur. Jam ego censeo, nomen *Πληξαύρη* referendum esse ad *verbera aurarum*, nomen *Γαλαξαύρη* ad id, quod fere contrarium est. Notum est autem verbo *γαλακτῶδες* significari id, quod est tepidum ut lac; vid. Henr. Stephani Thes. ling. Gr. Vol. II, p. 497, ubi citantur Hippocr. p. 1235, G: *οἶνος γαλακτώδης*, Aetius 64, 35: *ὕδωρ γαλακτῶδες*, Simpl. ad Aristot. *Υ. Φ. Α.* fol. 205, a: *Ἡ ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ μεταβολὴ ... εἰς τὸ γαλακτῶδες καὶ χλιαρὸν καὶ θερμόν.* Itaque *Γαλαξαύρη* nobis est ea, quae *tepidas auras* repraesentat vel iis praeest. Oceanitides autem aliquot ad ventos aurasque, quae in Oceano (cfr. Pindar. Olymp. II, 71 sq.) atque aliis fluviis flarent, relatas esse, haud sane est mirum. Conferri potest, quod Triton, deus marinus, imprimis ad ventum referendus est, et quod inter Nereides est *Γαλήνη* sive *Γαληναίη*. Quid? quod *εὐειδὴς Γαλάτεια*, quae appellatur ab Hesiodo Theogon. vs. 250 in Nereidum catalogo, eodem modo capitur a scholiaste, haec scribente: *ἡ εὐειδὴς γαλήνη, ἡ λευκότης τῶν κυμάτων, ὅτε μετρίαις αὔραις περιπνέεται ἡ θάλασσα, καὶ ἡ ὄψις αὐτῶν ἡ χαρίεσσα?* Etiam Nonnus similiter videtur de originatione verbi cogitavisse, quum scripsit Dionys. XXXIX, 257 sq.:

*καὶ βυθίη Γαλάτεια θαλασσαίου διὰ κόλπου*
*ἡμιφανὴς πεφύρητο διαξύουσα γαλήνην.*

Eustath. ad Homer. Il., p. 1131, 5 sq. et schol. ad Theocrit. id. vs. 9—12, lin. 7 sq. secundum explicationem H. L. Ahrensii Bucol. Gr. reliq. T. II, p. 511 sq. At mihi quidem Galatea Hesiodea et Homerica (cfr. Il. XVIII, 45) origine haud videtur diversa esse ab ea quae imprimis nota est e Theocriti idyll. XI. Haec autem secundum Duridem apud schol. Theocrit. (cfr. fr. XLII, p. 129 ed. Hulleman.) colebatur in Aetna monte *διὰ τὴν τῶν θρεμμάτων πολυπληθίαν καὶ τοῦ γάλακτος* vel *διὰ τὴν εὐβοσίαν τῶν θρεμμάτων καὶ τοῦ γάλακτος*, cfr. etiam schol. ad Theocr. VI, 6, p. 223, 17 sq. ed. Ahrens.: (*Γαλατείᾳ*) *ἱερὸν ὁ Κύκλωψ ἱδρύσατο ἐκ τοῦ ἔχειν αὐτὸν πολλὰ πρόβατα καὶ ἀπ' αὐτῶν κεκτῆσθαι τὸ γάλα τὸ πολύ.* Itaque Nereis *Γαλάτεια* conferenda videtur cum Nereide, quae appellabatur *Εὐάρνη* (Theogon. vs. 259), et cum Oceanitide, quae vocabatur *Μηλόβοσις* vel *Μηλοβότη* (Theog. vs. 354, Homer. Hymn. in Cer. vs. 420, Pausan. IV, 30, 3).

## II.

## Sophocles,

Oedip. Colon. vs. 716 sq. quum scripsit verba illa diu multumque vexata:

*ἁ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία χερσὶ παραπτομένα πλάτα*



*θρώσκει, τῶν ἑκατομπόδων*
*Νηρῄδων ἀκόλουθος,*

vix cogitavit, quantas doctis interpretibus molestias allaturus esset *ἑκατόμποδας* appellans Nereides. Godofredus Hermannus „si cui displicet“, inquit, „quinquaginta Nereidum centum pedes numerari, is saltem velim hoc vocabulo multipedes dici statuat, neque contendat Nereides ipsas centum esse dici.“ Interpretationem altero loco propositam jure reliquis praetulit Schneidewinus. Is in comparationem vocavit scolii Pindarici ab Athenaeo XIII, p. 573 E servati verba haecce ad turbam pulchrarum puellarum spectantia: *φορβάδων κορᾶν ἀγέλαν ἑκατόγγυιον*, de navi autem Nereidum comite relegavit ad Eurip. Electr. 433 sq.:

*κλειναὶ νᾶες, αἵ ποτ' ἔμβατε Τροίαν*
*τοῖς ἀμετρήτοις ἐρετμοῖς*
*πέμπουσαι χοροὺς μετὰ Νηρῄδων,*

et Eurip. Helen. vs. 1452 sq.:

*Φοίνισσα Σιδωνιὰς εὐ*
*ταχεῖα κώπα, ῥοθ[ί]οισι μάτηρ*
*εἰρεσία φίλα,*
*χοραγὲ τῶν καλλιχόρων*
*δελφίνων.*

At enim vero, ut taceam, hos locos non prorsus similes esse, quum apud Sophoclem, si vera est illa interpretatio, naves dicantur Nereidum esse pedissequae, locutio quae primo loco reperitur, non omnino congruit cum locutione *ἑκατόμποδες Νηρῇδες*, quum praesertim Pindarus, ut alii, verbo *γυῖον* etiam ad totum corpus significandum utatur; cfr. Nem. III, vs. 73 et Olymp. VIII, vs. 68. Quod vero summum est, ne illa quidem verborum *ἑκ. Ν.* interpretatio Sophocle poeta satis esse digna videtur. Ego ita ratiocinor. Veris Nereidibus bini pedes tribuebantur. Ergo quas Sophocles *ἑκατόμποδας Νηρῇδας* dixit, eas non voluit Nereides ipsas intelligi, sed Nereidibus similes tantum, Nereides alteras. Cui non veniant in mentem tales locutiones, quales sunt *δίπους λέαινα* apud Aeschylum Agam. vs. 1231, *δίπους ὄφις* apud eundem Suppl. vs. 872, *κόνιν, ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ* ibid. vs. 177, al.? Ne multa: *ἑκατόμποδες Νηρῇδες* apud Sophoclem sunt nihil aliud quam *ἑ κ α τ ό ν τ ο ρ ο ι*, maximum navium genus. Metaphora, ex qua remi dicuntur navium pedes, notissima; vid. quae adnotavit Meursius ad Lycophronis Cassandr. vs. 97, Hesych. s. v. *ὀρείοις ποσί· κώπαις· ἐπεὶ ἡ ἐλάτη ὄρειος*, Plaut. Menaechm. II, 275: pedes navales. Conferendae sunt etiam eae originationes, ex quibus verba *πηδὸν* et *πηδάλιον* referuntur ad verbum *πούς* vel ad verbum *πηδᾶν*, quarum posteriorem amplexus est G. Curtius Lineam. Etym. Gr. Vol. I, p. 210. Usus autem est Sophocles eadem ipsa metaphora, quum dixit *πλάτα θρώσκει* — nam vocabulum *πλάτα* de remo est capiendum, ad quem aptissimum est epitheton *εὐήρετμος*, non de navi — et quum remum appellavit *ἀκόλουθον*. Hoc epitheton, quo cum *comes* significatur tum *minister*, etiam alio respectu egregie est delectum. Quippe remus non solum it simul cum navi, quae et ipsa movetur vento propulsa, verum etiam inservit navi. Naves autem a Sophocle dictas esse alte-

ras Nereides, nemo mirabitur, qui meminerit, illas etiam alias a poetis tanquam vivas induci, ut apud Aeschylum Suppl. vs. 697 scriptum legimus: *πρῶρα πρόσθεν ὄμμασιν βλέπουσ' ὁδόν*, ab artificibus autem in speciem delphinorum cetorumque fingi (vid. Winckelmann. Op. II, p. 612, Radulph. Rochett. Mon. ined. p. 377, adn. 5, Welcker. adnot. ad Philostr. imag. I, 19, p. 324, et Mon. antiq. III, p. 70), atque — id quod proxime accedit ad rem, qua de agitur — apud Vergilium naves Aeneae mutari in Nereides, cfr. Aen. IX, vs. 76 sq., quam rem pictura expressam, si placet, videas apud Millinum Gal. mythol., tab. CLXXVI, fig. 652. Non afferam meam in sententiam, plures Nereides ad navigationem spectare, quamquam si id recte statuitur de iis, quibus nomen est Pherusae et Pontiporiae, ut a Schoemanno factum videmus, comment. de Nereidum et Oceanidum catalogis p. 19 = Opusc. academ. Vol. II, p. 196, aliquis conjicere possit eandem subesse metaphoram.

## III.

## Alexidis

in dramate, cui titulus erat *Ἀσωτοδιδασκάλῳ*, secundum Athenaeum VIII, 15, p. 336, Sotion Alexandrinus rettulerat *Ξανθίαν τινὰ οἰκέτην πεποιῆσθαι προτρεπόμενον ἐπὶ ἡδυπάθειαν ὁμοδούλους καὶ λέγοντα*

*τί ταῦτα ληρεῖς φληναφῶν ἄνω κάτω*
*Λύκειον, Ἀκαδημείαν, Ὠιδείου πύλας,*
*λήρους σοφιστῶν; οὐδὲ ἓν τούτων καλόν.*

Verba poëtae edidit et adnotavit Meinekius Fragm. Com. Gr. III, 394 ed. major., P. II, p. 694 sq. ed. minor. Is de Odeo a philosophis frequentato relegat ad Plutarch. de exil. c. 14 et Diogen. Laert. VII, 184. Vellem vir eximius docuisset, quomodo explicanda essent verba *Ὠιδείου πύλας*. An adstipulatus Casaubono, qui non sine dubitatione haec protulit: „*πύλας*, si vera est scriptura, referam ad mendicabula philosophorum et aretalogos, qui passim per urbium portas, per angiportus et publica omnia loca oberrantes, de virtute multa declamiti"? Haud ferenda est sententia Schillbachii in libro ceteroquin laudabili, quem de Odeo Herodis scripsit, p. 11 intelligentis porticum ante introitum Odei sitam, de qua nihil scimus. Cave autem huc trahas locum Andocidis qui est de myster. §. 38: *ἐπεὶ δὴ παρὰ τὸ προπύλαιον τοῦ Διονύσου ἦν, ὁρᾶν ἀνθρώπους ἀπὸ τοῦ Ὠιδείου καταβαίνοντας εἰς τὴν ὀρχήστραν.* Nam *τὸ προπύλαιον τοῦ Διονύσου* nihil omnino commune habet cum Odeo. Demonstrabo alio loco, ut spero, illud propylaeum, quod hoc uno solo loco commemoratur, ante ipsum ingressum, qui ab oriente ducebat in theatrum Bacchicum, situm fuisse. Scriptura *Ὠιδείου πύλας* ferri omnino nequit. Jam quum secundum Meinekium pars codicum mscr. Athenaei praebeat: *ᾠδεῖον πύλας*, Dalecampius scribendum esse censuit: *Ὠιδεῖον, Πύλας, λήρους σοφιστῶν, Πύλας* intelligens Thermopylas et Amphictyonum consessum; eumque sequutus est Fredericus Henricus Bothe in libro, quo Comicorum Gr. fragmenta recognovit et transtulit, Parisiis MDCCCLV in lucem emisso, p. 521, cui dehortari videtur servus a curandis ingenii operibus cum philosophicis tum politicis. Vix opus erit ista talia refutare. Ego scriptum fuisse censeo:

*Λυκεῖον, Ἀκαδήμειαν, Ὠιδεῖον, πύλας*
*λήρου σοφιστῶν;*

Postrema verba significant: *quae portae sunt nugarum, quas garriunt sophistae.* Conferendae sunt locutiones *πύλας ὕμνων ἀναπιτνάμεν* (Pind. Olymp. VI, 27) et *ἀρρήτων ἐπέων πύλας ἐξευρεῖν* (Bacchylid. fr. XIV, 2 Bergk.).



## IV.

## Ciceronis

locus, qui est Action. in C. Verrem secund. lib. IV, cap. XXIII, §. 52 sub fin., secundum libros mscr. sic editur:

„Omnia deferuntur; Cibyratae fratres vocantur; pauca improbant; quae probarant, iis crustae aut emblemata detrahebantur."

Sermo est de argento caelato Haluntinorum, e quo Hiero et Tlepolemus, Verris illi Cibyratici canes (XXII, 47), signa et sigilla evellerant.

Si genuina est scriptura *crustae aut emblemata*, sequitur, illas ab his fuisse diversas. Neque dubitaverunt homines docti, quin ita esset statuendum. In Thesaur. ling. Latin. Vol. I, Lugduni a. 1573 edito, p. 687, haec scripta reperiuntur secundum Turnebum: „Crustae et emblemata differunt quod crustae tectoria quaedam erant et tanquam bracteae quaedam illitae et laminae inductae inaurataeque. Emblemata pretiosiora erant et operis exquisitioris exemptiliaque erant, cum illigata essent vel adfixa. Crustae vero, etsi revelli poterant, tamen firmius inhaerebant." Porro Salmasius Plinian. exercit. in C. Jul. Solini Polyhistor. p. 736 E de Cicerone haec adnotavit: „emblemata videtur dixisse de signis ac sigillis extantibus: crustas de prostypis", et universe statuit ita: „signa haec et sigilla *ἔκτυπα* et *περιφανῆ* ut plerumque poculis immittebantur, et inligabantur: at crustae de prostypis, quibus operiebantur, quae et ipsae exemptiles erant." Alii emblemata intellexerunt laminas cum figuris in interiore paterarum parte illigatas et adfixas. Salmasium fere secuti sunt homines docti, qui nostra memoria de crustis et emblematis egerunt paullo accuratius, imprimis G. A. Beckerus et Reinius Gall. II, p. 321 sq. ex edit. tert., Beckerus etiam in libro ab Augusto Pauly curato, qui inscribitur „Real-Encyclopädie der classischen Alterthumswissenschaft", Vol. II, s. vv. Caelatura et Chrysendeta, p. 42 et 347. A quibus in eo tantum dissentiunt Adolphus Michaelis comment. de vase argenteo Corsiniano, p. 4, et Marquardtius Antiq. priv. Roman. II, 2, p. 275, quod emblemata opinantur non esse nisi sigilla solida sive parvas statuas in vasis illigatas vel vasis infixas, id quod jam C. A. Boettigerus videtur existimavisse in Script. min. a Jul. Silligio edit. Vol. II, p. 350.

Agitur imprimis de verbo *emblema* explicando; nam verbum *crusta* quid sibi velit, jam per se clarius est.

Atqui ad eam sententiam, quam ultimo loco commemoravi, aptissimum videtur, quod scholiastes Juvenalis ad verba *stantem extra pocula caprum*,

Sat. I, 76 posita — quibuscum conferenda sunt illa, quae leguntur apud Martialem, Epigr. VIII, 51:

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronos?
Stat caper Aeolio Thebani vellere Phryxi
Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror —

adnotavit: „dicit emblematicum opus."

Procul dubio ille *stans extra extra pocula caper* id erat, quod Graeci dicebant *ζῷον περιφανές* (Athen. V, p. 199, E, 205, C), sive parva statua collocata in interiore poculi parte, ita quidem, ut super labra emineret, et fundo poculi affixa. Dubitari autem vel per se nequit quin emblemata vocata sint talia sigilla, qualia reperiuntur in vase argenteo in Russia meridionali effosso, quod editum est in libro, qui inscribitur Compte-rendu de la commission impér. archéologique pour l'ann. 1864", Petropoli MDCCCLXV in lucem emisso, vid. imprimis tab. III, fig. 1 et 2, de quibus p. 13 sq. haec refert Ludolphus Stephani: „Die Figuren sind in sehr hohem Relief gebildet, so dass viele Theile derselben die volle Rundung der Körper haben; jede ist einzeln aus massivem Silber gegossen, dann vergoldet und auf die Fläche der Vase aufgelöthet."

At luce clarius est, illi recentiorum hominum doctorum sententiae, ex qua emblemata non esse nisi *περιφανῆ ζῷα* perhibentur, refragari, quod Plinius Nat. hist. XXXIII, 156 tradit de Pytheae opere quodam his verbis: „Ulixes et Diomedes erant in phialae emblemate Palladium subripientes."

Ex his verbis videtur esse nata ea de verbo emblema sententia, quam paullo supra loco tertio allegavi. At eam recentioribus temporibus jure spretam videmus ab hominibus doctis. Neque enim necessario sequitur ex illo loco, praeterea autem nullus est, quo comprobari possit.

Apparet potius emblema dici laminas cum figuris excusis.

Quomodo hoc alterum emblematum genus differebat ab iis quae vocabantur crustae?

Num ita, ut emblemata haberent signa et sigilla exstantia sive ectypa, crustae vero prostypa?

Emblema illud, in quo secundum Plinium Ulixes et Diomedes erant Palladium subripientes, extantes *posse* habuisse figuras, nemo unus ibit infitias. At unde sequitur, vere ita fuisse? Per se verbum *emblema*, si originationem spectaverimus, aeque bene ad sigilla prostypa significanda adhiberi potuisse, haud negabimus. Ad linguae usum quod attinet, nemo, opinor, asseverabit, ex signis solidis separatim factis ea tantum emblemata vocata esse, quae eminentiora essent, ea non item, quae minus eminerent e vasis. Taceo locutiones haud diversa significantes *emblema vermiculatum*, qua usus est Lucilius apud Ciceronem Orat. XLIV:

ut tesserulae omnes
Arte, pavimento et emblemate vermiculato,

et *vermiculatas ad effigies rerum et animalium crustas*, quae est apud Plinium Nat. hist. XXXV, 2.

An igitur emblemata, de quibus jam agitur, a crustis diversa erant eo, quod solidiora essent et alio modo affigerentur ad vasa?



Hoc vel per se haudquaquam est probabile et nullo veterum scriptorum loco testatum reperitur, ut paullo infra videbimus accuratius.

Itaque statuendum est, haec emblemata et crustas nihil differre.

Quae quum ita sint, sequitur, Ciceronem, si loco illo, a quo sumus profecti, scripsit: *crustas aut emblemata*, hoc posteriore vocabulo usum esse sensu illo strictiore, ex quo sigilla solida separatim facta et vasis infixa vel adfixa significat. Haud nego equidem, fuisse inter emblemata a Verre abrepta talia, quae non possent etiam crustae appellari. At haec haud dubie pauca erant numero. Ad nostra tempora unum tantum talium emblematum exemplum pervenit, illud, quod reperitur in vase Petropolitano paullo supra commemorato. Errat Marquardtius, quum censet, sigilla apud Ciceronem ea tantum intelligenda esse, quae ipse vocat emblemata. Procul dubio etiam figurae, quae erant in crustis, vocabantur sigilla.

At quaeritur, num Cicero illo loco vere ita scripserit. Nonne per est mirum, quod neque antea nec vero postea *crustas* commemoravit inter res a Verre abreptas? Ante illum locum dixit „scaphia cum emblematis" (XVII, 37), „evulso emblemate" (XXI, 46), „patella grandis cum sigillis ac simulacris deorum" (ibid.), „sigillis avulsis" (XXII, 48, ubi sermo est de patella, „in qua sigilla erant egregia"), „pocula non magna cum emblemate" et „emblemata evellenda" (ib. 49). Post locum, quo de sermocinamur, haec posuit Cicero XXIV, 54: „Et ne forte hominem existimetis hanc tantam vim *emblematum* sine causa coacervare voluisse —: postea quum tantam multitudinem collegerat *emblematum*, ut ne unum quidem cuiquam reliquisset, instituit Syracusis officinam in regia maximam. Palam artifices omnes, caelatores ac vascularios, convocari jubet; et ipse suos complures habebat: eos concludit, magnam hominum multitudinem. Menses octo continuos his opus non defuit, quum vas nullum fieret nisi aureum. Tum illa, ex patellis*) et turibulis quae evellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scaphiis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres."

Hic locus eo est gravior, quod in ipso comprehenduntur cuncta, quae antea singillatim erant tradita. Nonne opus erat ut hoc loco crustas *et* emblemata commemoraret orator, si antea crustas ab emblematis diversas commemoraverat, eoque magis, quod hoc ipsum loco proxime antegresso factum erat?

Beckerus quidem in ea erat opinione, ut in loco Ciceronis, qui est XXIV, 54, verba *in aureis poculis illigabat* ad crustas referenda esse censeret, verba *in scaphiis aureis includebat* ad emblemata; cfr. librum, qui

*) Nuperrimus huius orationis interpres, Fr. Richter, arbitratur post verbum „patellis" intercidisse: „et pateris", quum §. 46, 47, 48 praeter patellas et turibula etiam paterae commemorentur. At non reputavit vir doctus, antea etiam de aliis vasis cum emblematis a Verre abreptis sermonem fuisse, de scaphiis, de poculis non magnis. Vix credibile est oratorem omnia recensere voluisse, et — quae summa est — Cicero loquitur tantummodo de vasis potoriis in officina a Verre instituta factis; qua de re eorum emblematum solorum mentionem injicit, quae non pertinuerant ad vasa potoria, sed tamen ad talia vasa, quae poculis et scaphiis Verris in usum factis quodammodo responderent.

inscribitur „Realencyclopaedie“ cet. Vol. II, p. 347. Adstipulatus est Reinius Gall. II, p. 322. At mihi illa opinio videtur esse falsa. Locutione *includere in scaphiis* nihil aliud significatur quam hoc, emblemata collocata esse in interiore scaphiorum parte. Locutione *illigare in poculis* mihi quidem idem sibi velle orator videtur, certe idem significare potuit, sed etiam aliud quid, cfr. dictionem *literae in jaculo illigatae*, quae est apud Caesar. bell. Gall. V, 45.

Omnino errant homines docti ei rei aliquid tribuentes, quod junctio emblematis et vasis aliis verbis significetur, atque junctio crustae et emblematis. Primo tenendum est emblemata plurimis locis, ubi commemorantur, non diversa esse a crustis. Deinde ne vera quidem est illa observatio; nam verbum illigare de emblematis positum est apud Ciceronem, de crustis apud Paullum Dig. XXXIV, 2, 32, ubi commemorantur *cymbia argentea crustis aureis illigata;* quamquam ratio dicendi paullo est diversa. Si Paullus alio loco, quem paullo infra afferemus, emblemata *infixa* appellat, inde profecto non sequitur, crustas non dictas esse infixas. Quam bene locutio *includere*, qua Cicero usus est de emblematis sermocinans, ad crustas quadret, apparet ex iis, quae paullo supra adnotavimus. Simi, liter verba, quibus separatio emblematum et crustarum a vasis significaturaut eadem sunt aut aeque apta ad crustas quam ad emblemata. Prius illud cadit in eum locum, quo tractando occupati sumus; ubi est: *crustae aut emblemata detrahebantur*. Qui locus, si propter ea, quae mox disputabuntur, huc non pertinet, tamen propterea dignus est ad quem animus advertatur, quod in eo procul dubio de emblematis detractis sermo est. Eodem loco emblemata extracta sive evulsa vocantur *excussae deliciae*, aeque atque Cicero Orat. pro P. Sulla XII dixit *aculeos excussos*. Reliquis ejusdem orationis locis praeter unum, quo commemorantur *sigilla avulsa*, sermo est de *evulsis emblematis*. Quis dubitabit quin evulsae crustae dici potuerint propterea quod clavulis essent affixae, vel etiam quod in interiore essent vasorum parte? Affigebantur autem crustae aeque atque emblemata aut illa ratione aut plumbatura, de qua nuper diximus in scriptione de vasis argenteis prope Hildesiam repertis, p. 25, adn. 1. Videtur autem etiam accuratius, quam adhuc factum est, inquirendum esse, num omnino admittenda sit opinio hominum doctorum, emblemata quae dicunt semper in ipsam vasorum materiam immissa esse existimantium. Id cadere non posse nisi in ea, quae essent parvae statuae separatim factae, jam supra est significatum. Nihilominus tamen usu non venit in vase illo Petropolitano fabricando. Neque sequitur ex ullo veterum scriptorum loco, ita fuisse. De nonnullis verbis perperam pro contraria sententia allatis modo diximus. Mittimus locum Persii Sat. II, 52 *creterras argenti incusaque auro dona* commemorantis, quem miramur omnino in censum vocatum esse a Marquardtio. Sed quis Reinio concedat, locutionem *emblema vermiculatum*, quam jam supra commemoravimus, postulare ut etiam vasorum argenteorum emblemata immittendo infixa esse sumamus, et verba illa, quibus utitur Paullus Rec. sent. III, 6, 89: *vasis argenteis emblemata ex auro infixa*, nullam aliam explicationem admittere? Non videtur Reinius meminisse ejus



affigendi rationis, cujus paullo supra priore loco mentionem injecimus. Porro sane apud Martialem Epigr. III, 41 scriptum legitur:

Inserta phialae Mentoris manu ducta
Lacerta vivit, et timetur argentum.

At *inserta* dici poterat lacerta propterea, quod in interiore phialae fundo, inter parietes vasis affixa erat. An erit qui verbis, quae protulit Seneca epist. I, 5, 3, Vol. III, p. 8 sq. ex edit. Haasii, solis niti velit? Scripsit autem Seneca: „non habeamus argentum, in quod solidi auri caelatura descenderit.“ Sane universe loquutus est *argentum* dicens, non expressis verbis commemorans talia vasa, quae intus signis ac sigillis ornari solebant, qualia sunt pocula, phialae, scaphia. At quum singulari numero dicat *caelatura*, quam intelligere licet *caelaturae figuram* (Paul. Diacon. p. 98, 3 secund. edit. Mueller.), nihil prohibet de illis ipsis vasis et similibus cogitare; nam singula sigilla separatim facta, exceptis iis, quae pro ansis erant — atque haec procul dubio non sunt intelligenda — in interiore vasorum parte affigi solebant.

Sed satis habemus ad hanc rem digitum intendisse. Contra vulgatam sententiam etiam id afferri potest, quod variare emblemata — id quod factum esse constat — facilius erat, si affigebantur tantum, quam si etiam immittebantur.

Redeat jam oratio ad Ciceronis locum illum, unde orsi sumus. Haud negamus, ferri posse dictionem *crustas aut emblemata*, eo quidem pacto, ut statuatur, oratorem significare voluisse, solis Haluntinis abrepta esse emblemata talia, quae parvae statuae essent. Qua sententia probata verbum *emblema*, ubi ante illum locum usurpatur, aut idem quod verbum *crusta* parvas statuas significare statuamus oportebit, postea vero, §. 54, sensu generaliore adhibitum esse, ex quo tam crustas quam parvas statuas vasis affixas denotat.

Hoc ut credam ego a me non possum impetrare. Quin vel in eo offendo, quod verbum *emblemata* solum, non additis aliis verbis notionem accuratius significantibus, oppositum est verbo *crustas*, quum crustae et ipsae vocatae sint emblemata.

Quare locum de mendo postulandum esse arbitror.

Duae autem, si quid video, patent emendandi viae. Fieri potest, ut ad verbum *emblemata* explicandum ab aliquo adscriptum fuerit: *crustas*, atque hoc vocabulum ab alio quo per particulam *aut* cum voc. emblemata connexum sit. At objiciat aliquis, hoc si factum esset, probabilius fore, si ibi factum statueretur, ubi orator primum verbo *emblema* usus est. Altera, quam in promptu habeo, medicina, haec est, ut pro „crustas aut emblemata“ scribatur: *crustarum* emblemata. Quae si aptior visa fuerit, statuendum est, Ciceronem expressis verbis significare voluisse, Haluntinis non abreptas esse nisi crustas. Ad has apprimis aptum est verbum *detrahebantur*. Nihilominus tamen ego alteram illam praetulerim, quum praesertim hoc verbum aeque aptum sit ad parvas statuas affixas quam ad crustas.

## V.
## Ovidius

Metamorph. lib. X postquam Venerem in nemore, ubi cum Adonide venata erat, cum amasio confabulantem induxit hortantemque ut leones

cumque his genus omne ferarum
Quae non terga fugae, sed pugnae pectora praebent,

effugeret, vs. 707 sq. ita pergit:

Illa quidem monuit, junctisque per aëra cygnis,
Carpit iter; sed stat monitis contraria virtus.
Forte suem latebris, vestigia certa secuti,
Excivere canes, silvisque exire parantem
Fixerat obliquo juvenis Cinyreïus ictu:
Protinus excussit pando venabula rostro
Sanguine tincta suo, trepidumque et tuta petentem
Trux aper insequitur, totosque sub inguinè dentes
Abdidit et fulva moribundum stravit arena.
Vecta levi curru medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis:
Agnovit longe gemitum morientis, et albas
Flexit aves illuc.

Per est mirum, quod editores atque interpretes, quantum ego scio, omnes acquieverunt in scriptura, quam vs. 717 et 718 praebent libri mscr. Quid enim? Nonne fingit hic poeta, in ipsa insula Cypro Venerem cum Adonide venatam esse atque Adonidem mortem oppetivisse? Sane hic etiam in Syria h. e. Phoenicia apro occubuisse ferebatur, cfr. Lucian. de dea Syria VI, vid. etiam Strab. XVI, 18. 19, p. 755. At Ovidium non sequutum esse hanc fabulam, sequitur vel ex eo, quod jam inde a versu 220 Cypriae tractantur fabulae. Omnino fabula, ex qua res illa acciderat in insula Cypro, pervagatior erat, eamque etiam alii scriptores sequuti sunt et, quantum conjicere licet, omnes artifices Graeci et Romani, quorum opera ad mortem Adonidis spectantia ad nos pervenerunt. Etenim satis levia sunt argumenta, quibus innixus Radulphus Rochettus in libro, quo picturas Pompejanas edidit atque explicavit, p. 131 sq. et p. 133, contendit, nonnullos pictores Adonidem in Syria mortuum significare voluisse.

An igitur editores Ovidii Cypron vs. 718 commemoratam non insulam, sed urbem in insula sitam intelligendam esse existimaverunt? At enim vero, urbem talem nunquam exstitisse, demonstravit jam Guil. Engelius libri, quem de Cypro composuit, Vol. I, p. 155 sq. Sin autem exstitisset urbs ejus nominis, haud credibile esset, Ovidium eam a Venere petitam finxisse, sed alium quem locum; quippe qui supra vs. 529 sq. de dea sic loquutus sit:

Capta viri forma non jam Cythereia curat
Litora, non alto repetit Paphon aequore cinctam
Piscosamque Gnidon gravidamque Amathunta metallis.



Jam quaerentibus nobis, ubi Cypri Venus et Adonis ad venandum convenerint, Adonis letale illud vulnus ab apro acceperit, Venus interemptum planxerit, opportune se offert locus Propertii, qui est El. III (II), 13, 53 sq., hicce:

Testis, cui niveum quondam percussit Adonin
Venantem Idalio vertice durus aper:
Illis formosum jacuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu Venus isse coma.

Procul dubio Ovidius de eodem ipso loco cogitavit. Sequitur hoc etiam inde, quod iis versibus, quos modo exscribendos curavimus, Idalii nullam facit mentionem, quamvis locus sit deae gratissimus, qui inter ejus sedes imprimis nominatur, cfr. Theocrit. Id. XV, 100, Catull. Epigr. XXXVII, Nupt. Pel. et Thetid. vs. 96, Vergil. Aen. I, 680 sq., X, 51 sq., et a quo ipsa appellatur Idalia, vid. Ovid. Metam. XIV, 694, cfr. etiam Vergil. Aen. V, 760. Etiam artifices, quibus debentur sarcophagorum anaglypta ad fabulam de Adonide spectantia, agnoverunt „Adonin venantem Idalio vertice", arundinetum indicantes, unde aper prorumpit, quale proprium esse solet paludibus apud Propertium commemoratis. Fugit hoc viros doctos, qui nuper illis anaglyptis explicandis operam dederunt in Annalib. Instit. archaeol. Rom. Vol. XXXIV, p. 161 sq. et Vol. XXXVI p. 68 sq. Itaque — ut hoc uno exemplo defungar — dubium esse non potest, quin in sarcophago Parisino quod expressum est maxime ad dextram ejus qui contemplatur (vid. Monum. art. ant. a Muellero edit. II, 29, 292), id agi fingatur in iis, quae a Vergilio Aen. X, 52 appellantur „Idaliae domus." Nam „Idalium", Servius inquit ad Verg. Aen. I, 681, „Cypri nemus est, in quo oppidum breve, Idaliae lucus, Idalium nemus sacrata sede."

Itaque locus Ovidii, a quo profecti sumus, emendatione eget. Scripserat autem poeta:

Vecta levi curru *mediam* Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis.

Construenda sunt verba: *nondum mediam Cypron pervenerat.* Probabile est, ex sententia poetae Venerem, quum Adonidem relinqueret, voluisse se conferre Paphum. Idalium situm erat in orientali Cypri parte, Paphus in occidentali in meridiem versus.

---

# I. SCHOLAE ORDINIS THEOLOGORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

FRIDERIC. EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Regii Seminarii Homiletici exercitationes* die Saturn. h. IX—X. XI—XII moderabitur, item *exercitationes catecheticas* eod. die h. III—IV. Privatim *historiam theologiae recentioris et recentissimae* ratione habita *historiae culturae universalis* enarrabit h. XII—I quatern. scholis diebb. Lun. Mart. Jov. Vener. *Theologiae practicae* partem alteram i. e. *Liturgicen, Homileticen, doctrinam de cura animarum* et *Politicen ecclesiasticam* tradet quinquies h. III—IV.

LUDOVICUS DUNCKER, Dr., privatim *Historiae ecclesiasticae partem alteram* sexies per hebd. h. VIII—IX, *Historiam dogmatum* quinquies h. XI—XII et die Saturn. h. IX—X tradet.

L. F. SCHOEBERLEIN, Dr., publice *Exercitationes liturgicas* sodalium seminarii practico-theologici moderabitur die Sat. h. IX—X, et *Cantu ecclesiastico* eos instituet die Merc. h. VI—VII; privatim *Dogmatices christianae* partem alteram (ponerologiam, christologiam, soteriologiam et eschatologiam) sexies per hebd. h. XII—I tradet, et *Theologiae practicae* summam quater per hebd. h. IV—V docebit. Praeterea *Societatem dogmaticam* die Ven. h. VI—VIII moderari perget.

AUGUSTUS WIESINGER, Dr., publice *Seminarii homiletici exercitationes* die Sat. h. X—XII et *Exercitationes catecheticas* die Merc. h. V—VI moderabitur. — Privatim *Evangelia tria priora* quinquies h. IX—X, libri *Jesaiani* partem alteram ter h. X—XI interpretabitur.

JULIUS WAGENMANN, Dr., publice *Historiam ecclesiasticam aevi recentioris* quaternis per hebd. scholis enarrabit hora VII; privatim *Historiae ecclesiasticae partem priorem* sexies per hebd. tradet hora VIII; *Societatem theologicam historicam* moderari perget die Veneris hora vespertina VI.

ALBERTUS RITSCHL, Dr., privatim *Pauli epistolas ad Colossenses, Ephesios, Philippenses* interpretabitur quinquies h. IX; *Ethicen theologicam* tradet quinquies h. X et d. Merc. h. XII.

FR. GESS, Dr., privatim *priorem dogmatices partem* quinquies hora XII tradet, *Pauli ad Romanos epistolam* quinquies hora IX interpretabitur. Idem *societatem dogmatico-ethicam* moderabitur.

b. *Professorum extraordinariorum.*

GEO. CHRN. RUDOLPH. MATTHAEI, Dr., *Symbolicam comparatam* tradet, dieb. Jovis et Ven. h. II; *Symbola ecclesiae Lutheranae* describet, die Lunae h. II.



GEORG. CONR. AMADEUS LÜNEMANN, Dr., privatim *evangelium Johannis apostoli* interpretabitur quinis p. h. lectionibus h. IX—X. *Isagogen in Novum Testamentum* tradet quinquies p. hebd. h. XI—XII.

c. *Licentiatorum privatim docentium.*

THEODORUS ZAHN, Lic. th., quinis p. h. scholis hora XII *Pauli ad Romanos epistolam* interpretabitur.

RICARDUS SCHMIDT, Lic. theol., *Epistolam ad Hebraeos* quaternis per hebdomadem horis postea indicandis privatim interpretabitur.

d. *Sodalium collegii repetentium.*

*Exercitationes systematicas, historico-ecclesiasticas exegeticasque repetentes in contubernio theologico* sueto more die Lunae hora sexta vesperi moderabuntur.

JULIUS WELLHAUSEN, e collegio repetentium, publice *Evangelium Marci* interpretabitur bis per hebdomadem d. Lunae et Martis hora XII—I.

MAX BESSER, e collegio repetentium, publice *libros Samuelis* interpretabitur bis per hebdomadem die Mercurii et Jovis hora VII—VIII.

---

# II. SCHOLAE ORDINIS JURISCONSULTORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., privatim hor. IX—X et hor. XI—XII *Pandectas* docebit; publice sexies per hebdomadem hor. XII—I *doctrinam de possessione, de dominio et juribus in re* tradet.

GUIL. THEOD. KRAUT, Dr., *Jus Germanicum privatum cum feudorum et mercaturae iure* ex quarta libri sui (Grundriss zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht u. s. w. nebst beigefügten Quellen. Göttingen 1855) editione quotidie h. VII—VIII et IX—X tradet.

GUIL. FRANCKE, Dr., h. XI—XII *Institutiones juris Romani*, h. VIII—IX *principia juris Romani de hereditatibus* docebit.

HENR. ALB. ZACHARIAE, Dr., tradet: *Jus criminale Germaniae*, senis lectionibus hora XI; *Jus publicum Germaniae commune*, sexies per hebd. hora XII.

H. C. BRIEGLEB, Dr., quaternis scholis collegium *processuale practicum* instituet diebus Martis et Veneris h. IV—V et V—VI.

HENR. THÖL, Dr., quater per hebd. *Civile practicum* instituet dieb.

Lunae et Jovis h. IV—V et V—VI. *Jus mercaturae* e libro suo (das Handelsrecht) quinquies tradet h. VII—VIII.

O. E. HARTMANN, Dr., *Theoriam processus civilis* octavis scholis — sexies per hebd. hora XI—XII necnon binis horis aliis audituris commodis — tradet, collegium quod *Relatorium* vocant, instituet bis per hebd. hora IV—VI.

R. DOVE, Dr., privatim *Historiam juris Germanici* quotidie h. VIII—IX tradet; *Jus ecclesiasticum* tum Evangelicorum tum Catholicorum quotidie h. IX—X tractabit; publice *jus matrimoniale* bis per hebd. h. III—IV docebit.

b. *Professorum extraordinariorum.*

CAROL. GUIL. WOLFF, Dr., *Jus privatum germanicum cum jure feudorum et mercimonii* tradet sexies p. h. h. VII.

RUDOLPHUS SCHLESINGER, Dr., quotidie h. XI—XII *Institutiones juris Romani*, h. X—XI *Historiam juris Romani* tradet; quater per hebd. h. VIII—IX *Jus nauticum privatum* docebit.

FERDINANDUS FRENSDORFF, Dr., *Historiam juris Germanici publici et privati* quinquies per hebdom. h. XI—XII tradet; *historiam oppidorum Germanicorum* bis per hebd. h. XII—I publice enarrabit.

F. P. BREMER, Dr., *Antiquitates iuris Romani* tam philologiae quam iuris studiosis explicabit quater p. h. h. VIII—IX. *Jus civile Borussicum* tradet sexies p. h. h. X—XI.

c. *Doctorum privatim docentium.*

F. B. GREFE, Dr., *Theoriam processus civilis* tradet sexies per hebd. hora I—II.

RUDOLPHUS SOHM, Dr., *Jus germanicum privatum* tradet cum jure feudorum quinquies per hebd. hor. X—XI et dieb. Lunae, Jovis, Saturni hora IX—X; publice *jus quod leges germanicae de patrimonio conjugum statuerunt* d. Saturni h. XI—XII explicabit.

---

## III. SCHOLAE ORDINIS MEDICORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

CAROLUS FRIDERICUS HENRICUS MARX, Dr., h. III—IV doctrinam *de Remediorum effectibus atque usu* et *artem formulas medicas concinnandi* quinquies per hebd. tradet.

FRIDERICUS WOEHLER, Dr., privatim h. IX—X sexies per hebd.



*Chemiam* tradet. In laboratorio academico una cum Prof. DE USLAR, Prof. FITTIG, Dr. HÜBNER et Dr. AHRENS adjutoribus *Praxin chemicam* docebit.

GUIL. BAUM, Dr., publice *de ossium fracturis et dislocationibus* d. Mercurii et Saturni h. II, privatim *chirurgiae* part. I quinquies p. hebdom. h. IV, die Saturni h. III, *exercitationes operationum chirurgicarum* in theatro anatomico quoties cadavera aderunt diriget quotidie h. V, *exercitationes clinicas et policlinicas* in nosocomio Ernesto-Augustano diriget quotidie h. IX—X dim.

J. HENLE, Dr., *Anatomiae systematicae partem secundam* (angiologiam et neurologiam) quotidie h. XII—I; *Anatomiam generalem* d. Lunae, Mercurii, Veneris h. XI—XII tradet.

AUGUSTUS GRISEBACH, Dr., h. VII *Botanicen tam generalem quam specialem* explicabit et excursionibus botanicis plantarumque horti acad. demonstrationibus illustrabit; h. VIII quater per hebdomadem *Plantas officinales* demonstrabit. *Exercitationes practicas ad Botanicen systematicam spectantes* gratis offert.

C. E. HASSE, Dr., *Pathologiam et Therapiam specialem* sexies h. VII tradet. *Scholam clinicam et policlinicam* quotidie h. X—XI dimid. moderari perget.

G. MEISSNER, Dr., *Physiologiae experimentalis partem primam* (quae ad nutritionem corporis spectant functiones) tradet hora X quinquies per hebd., *Physiologiam generationis* et *Embryologiam* die Veneris h. V—VII docebit et demonstrationibus illustrabit. *Exercitationes practicas* in instituto physiologico moderabitur quotidie horis commodis.

HERMANNUS SCHWARTZ, Dr., privatim *gynaecologiam* docebit dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. hor. III; *cursum operationum* instituet dieb. Mercur. et Saturn. hor. VIII; *scholas clinicas obstetricio-gynaecologicas* moderabitur dieb. Lun. Martis Jov. et Vener. hora VIII.

L. MEYER, Dr., docebit *de morbis psychicis,* die Jov. h. IV—VI; *exercitationes in diagnoscendis et curandis morbis psychicis* moderabitur dieb. Lun. et Merc. h. IV—VI.

b. *Professorum extraordinariorum.*

E. A. G. HIMLY, Dr., postquamex morbo convaluerit, lectiones indicabit.

E. F. G. HERBST, Dr., *Physiologiam generalem et specialem* docebit, eandemque experimentis et demonstrationibus microscopicis illustrabit, sexies per hebd. h. X—XI.

A. KRAEMER, Dr., *Diagnosticen physicam* dieb. Lun. Mart. et Jov., *Doctrinam de fasciis vincturisque chirurgicis* dieb. Mercur. et Saturni, *Morbos Venereos* die Vener. hora XII vel alia magis commoda docebit. *Casuisticum obstetricium* adjunctis exercitationibus in machina »Phantome« dicta, horis commodis instituet. Privatissime *exercitationes microscopicas* moderabitur.

GUIL. KRAUSE, Dr., tradet *Pathologiam et Therapiam generalem* d. Lun. Mart. Jov. et Vener. h. VIII—IX. *Exercitationes microscopicas* in instituto pathologico sueto more continuabit.

C. SCHWEIGGER, Dr., privatim *Exercitationes ophthalmiatricas clinicas* die Lunae Martis Jovis et Veneris hora II—III; *Ophthalmologiam* die Lunae Martis Jovis et Veneris hora III—IV; *Exercitationes ophthalmoscopicas* die Martis et Jovis hora XII—I; *Doctrinam de Operationibus ophthalmiatricis cum exercitationibus* practicis die Lunae et Veneris h. XII—I.

### c. *Doctorum privatim docentium.*

CH. F. E. STROMEYER, Dr., *Pharmaciam et Chemiae theoreticae* singulas partes docebit.

R. WIESE, Dr., *theoriam auscultationis* et *percussionis* horis postea indicandis tradet exercitationibus adjunctis publicis.

C. F. LOHMEYER, Dr., *Chirurgiam generalem* quinquies p. h. hora VII—VIII vel alia commoda leget.

E. EHLERS, Dr., *Osteologiam et Syndesmologiam* d. Mart. Jov. et Sat. h. XI—XII docebit. — *Exercitationes microscopicas* sueto more instituet.

THEODORUS HUSEMANN, Dr., privatim *Pharmacologiam* demonstrationibus pharmacognosticis illustratam conjunctis exercitationibus formulas medicas rite concinnandi quinquies per hebdomadem hora III—IV docebit. *Balneologiam* dieb. Lunae, Martis et Mercurii hora V—VI vel aliis horis commodis tradet. *Repetitorium ad materiam medicam spectans* sueto more h. IV—V vel aliis horis audituris commodis instituet.

GUILIELMUS MARMÉ, Dr., privatim docebit *Toxicologiam experimentis explicatam* ter per hebd. dd. Lunae Martis et Mercurii h. V; *Electricitatis vim therapeuticam* conjunctis demonstrationibus et exercitationibus bis per hebd. dd. Lunae et Martis h. VI. *Venena e regno animali* experimentis illustrata semel per hebd. d. Jovis h. VI gratis tractabit.

---

## IV. SCHOLAE ORDINIS PHILOSOPHORUM.

### a. *Professorum ordinariorum.*

G. C. J. ULRICH, Dr., *Trigonometriam* (planam et sphaericam) *Polygonometriam Stereometriam* tradet h. X diebus Lun. Mart. Jov. Ven.; *Geometriam practicam* docebit h. V—VII quater p. h. In Seminario phys.-mathematico exercitationes mathematicas moderabitur die Mercurii h. X.

CAROLUS HOECK, Dr., *historiam literaturae* tradet.

GUILELMUS WEBER, Dr., h. V—VII publice *Seminarii mathematico-physici* sodales instituendis et disquirendis *Observationibus physicis* die Jov. exercebit, privatim *Physices experimentalis partem priorem* dd. Lun. Mart. et Merc. docebit.



F. TH. BARTLING, Dr., *Botanicen specialem* praemissis Botanices generalis elementis, sexies per hebd. h. VII; *Botanicen medicam* quinquies per hebd. h. VIII tradet. *Excursiones botanicas* sueto more instituet. *Demonstrationes* in *horto academico* hora commoda habebit.

AUGUSTUS GUILELMUS BOHTZ, Dr., *Psychologiam* dieb. Lunae, Martis et Jovis hora IV—V docebit; *Historiam Germanorum literariam inde a Lessingio usque ad nostra tempora* dieb. Lunae, Martis et Veneris hora XI—XII enarrabit.

ERNESTUS LUDOVICUS DE LEUTSCH, publice *Seminarii Regii philologici* et *Proseminarii* sodalibus *Vergili Bucolica* interpretanda proponet, dd. Jovis et Veneris h. XI—XII et d. Merc. h. IX—X; disputationes sodalium Proseminarii cum collegis H. Sauppio et C. Wachsmuthio moderabitur. — Privatim *Catulli et Propertii elegias* quinquies p. h. h. X—XI explicabit.

GUIL. HAVEMANN, Dr., *Historiam medii aevi* docebit dieb. Lunae, Mart., Jovis et Veneris hora III.

G. WAITZ, Dr., quater h. VIII—IX *politicen* tradet, h. IV—V *historiam Germanorum et civitatum Germanicarum inde ab a. 1806—1866* enarrabit. Publice semel *exercitationes historicas* instituet.

ERNESTUS BERTHEAU, Dr., *Psalmos* interpretabitur sexies h. X—XI; *Theologiam Vet. Test.* enarrabit dd. Lunae, Martis, Jovis et Ven. h. XI—XII. Publice *linguas syriacam et aethiopicam* docebit quaternis scholis h. II—III.

RUD. HERMANNUS LOTZE, Dr., quaternis dd. h. IX—X *metaphysicam* docebit, *historiam philosophiae universam* quinis lectionibus hor. V—VI adumbrabit.

W. SARTORIUS DE WALTERSHAUSEN, Dr., Partem priorem *Mineralogiae* quinis p. hebd. lectionibus h. VII—VIII, et *geologiam* h. XI—XII docebit. *Exercitationes ad mineralogiam spectantes* moderari perget.

JOANNES BENEDICTUS LISTING, Dr., *Opticen* tradet quater p. h. h. XII; de *computandis observationibus meteorologicis* aget hora auditoribus commoda; *Exercitationes physicas* in Seminario physico-mathematico dirigere perget die Merc. hora XI.

F. L. A. SCHWEIGER, Dr., *Historiam litterariam* adumbrabit quaternis p. h. scholis.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., privatissime *lectiones Arabicas* continuabit.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., publice *Seminarii Regii archaeologici sodalibus selecta artium monumenta* explicanda proponet, d. Saturni h. XII—I; privatim *Historiam artium a Graecis et Romanis cultarum* enarrabit, quaternis scholis, h. XII—I, *Isagogen in artem dramaticam Sophoclis* tradet

et *Antigonam* interpretabitur, ternis scholis, h. VIII—IX; privatissime *Commentationes a sodalibus seminarii arch. scriptas* recensebit.

J. E. WAPPÄUS, Dr., Publice *Elementa doctrinae statisticae, quae de incrementis et rationibus multitudinis hominum in civitatibus hodiernis agit,* tradet die Sat. h. XII—I. — Privatim *Geographiam et Statisticam Americae* docebit quater per hebd. h. XII—I.

GUIL. MÜLLER, Dr., *Grammaticam linguae theotiscae historicam* tradet quinis scholis h. III; *Waltharii ab Aviario carmina* ex editione Lachmanni interpretabitur dd. Lun. Mart. Jov. h. X; Societatis theotiscae studia moderari perget.

HERMANNUS SAUPPE, Dr., publice *disputationes* sodalium Seminarii regii philologici die Merc. h. XI—I reget, sodalium proseminarii cum collegis E. de Leutsch et C. Wachsmuth d. Merc. h. II—III; *exercitationes* Seminarii regii paedagogici dd. Lunae et Martis h. XI—XII moderabitur. — Privatim *Platonis Convivium* interpretabitur, dd. Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. IX—X, et *Artem latine scribendi* additis exercitationibus tradet, eisdem diebus, h. VII—VIII matutina.

FRID. GRIEPENKERL, Dr., quater per hebd. diebus Lun., Mart., Jov. et Ven. h. VIII—IX *Theoriam de rationali rerum rusticarum organisatione et de earum adaequata aestimatione;* quater per hebd. h. XII—I *Doctrinam de pecudum pastu*; publice bis per hebd. horis commodis *pratorum culturam* tradet. *Excursiones* ad Theoriam illustrandam spectantes instituet.

M. A. STERN, Dr., tradet *Calculum differentialem atque integralem* quinq. p. h. hora VII; *theoriam aequationum numericarum* quater p. h. hora VIII. In seminario physico-mathematico *applicationes calculi integralis ad arithmeticam sublimiorem* tradet, die Merc. hora VIII.

TH. BENFEY, Dr., h. IV—V diebb. Lun. Mart. et Merc. *carmina Sanscritica* interpretabitur, h. IV—V diebb. Jov. et Ven. *linguam Zendicam* tradet.

GUILIELMUS WICKE, Dr., instituet *exercitationes chemicas* in usum agriculturae studiosorum.

HENRICUS BRUGSCH, Dr., publice *monumenta aegyptiaca* explicabit die Merc. h. VI—VII. — Privatim *grammaticam hieroglyphicam* docebit et selectas inscriptiones explicabit ter per hebd. hora definienda.

THEODORUS MÜLLER, Dr., publice *Grammaticam linguae francogallicae antiquioris* tradet, diebb. Lun. et Jov. h. XII—I; privatim *carmen epicum* quod vocant *la Chanson de Roland* ex edit. sua explicabit, diebb. Mart. et Ven. h. XII—I; *Exercitationes francogallice scribendi et loquendi* instituet, diebb. Lun., Mart., Jov. et Ven., h. VI—VII vespertina; *Grammaticam linguae anglicae* docebit, adjunctis exercitationibus practicis, diebb. Mart., Merc., Ven. et Sat. h. VIII—IX matutina.



GUILELMUS KEFERSTEIN, Dr. Med., *Anatomiam comparatam* quater per hebd. diebus Lunae Martis Mercurii et Jovis h. III—IV docebit; *Exercitationes practicas zoologicas et zootomicas* una cum Dr. Grenacher adjutore in Museo Zoologico diebus Lunae et Martis h. IX—XII moderari perget. — Horis publicis III—V, quibus diebus Martis et Veneris *Museum Zoologicum et Ethnographicum* patet, demonstrationes offert. — *Societatem Zoologicam* die Veneris h. VI—VII una cum Dr. Grenacher sueto more continuabit.

ERNESTUS SCHERING, Dr., publice seminarii mathematico-physici sodalibus *Metrologiam et theoreticam et practicam in Observatorio Gaussiano* exponet. — Privatim *theoriam mathematicam gravitatis, electricitatis et magnetismi* quater per hebd. h. IV tradet.

ALFREDUS CLEBSCH, Dr., *theoriam luminis mathematicam* tradet dd. Lun. Mart. Jov. Ven. h. X; *determinantia*, *eliminationem*, *formas algebraicas* tractabit iisdem diebus h. XI.

CURTIUS WACHSMUTH, Dr., publice seminarii regii philologici sodalibus *ps. xenophonteum librum de republica Atheniensium* interpretandum proponet dd. Lunae et Martis h. XI—XII et proseminarii philologici sodalibus *Xenophontis Oeconomicum*. -- Privatim *Antiquitates publicas Romanorum* enarrabit quinis scholis h. VIII; *Historiam Graecam* tradet quater h. V.

## b. *Professorum extraordinariorum et nonnullorum virorum doctorum ab his proximorum.*

H. A. L. WIGGERS, Dr., tradet *Pharmaciam* sexies per hebd. hora matut. VI—VII. — *Pharmacognosiam* duce Compendio suo: Handbuch der Pharmacognosie, 5. Aufl. Gött. 1864, quinquies per hebd. hora II—III.

CAROLUS BOEDEKER, Dr., *Exercitationes practicas* in laboratorio physiologico-chemico horis VIII—XII et II—IV quinquies per hebd. moderari perget.

FR. GUIL. UNGER, Dr., *historiam artium plasticarum* tradet quinquies per hebd. h. IV—V vel alia hora commoda.

EDUARDUS KRÜGER, Dr., *Musicae recentioris* historiam enarrabit binis scholis d. Mercurii et Saturni hora XII. *Rhetoricae artis* rudimenta docebit d. Lunae et Jovis h. IV. *Paedagogicae artis* historiam tradet d. Martis et Veneris h. IV. *Lyricos Graecorum* minores explicabit publice d. Mercurii h. VIII.

ALBERTUS PEIP, Dr., *historiam philosophiae universam* enarrabit senis p. hebd. scholis h. VII—VIII matut.; *logicam* docebit quaternis p. hebd. scholis h. VIII—IX; in *societatibus philosophicis* h. VI—VII vesp. d. Martis Cartesii meditationes explicabit, d. Veneris potiora philosophiae antiquae et recentioris systemata summatim repetet.

CAROLUS DE SEEBACH, Dr., *Geognosiam* et *Arurognosiam* tradet

quinquies p. hebd. h. VIII—IX atque *excursionibus* instituendis illustrabit. Privatissime sed gratis *Exercitationes practicas* tam ad *Petrographiam* quam ad *Palaeontologiam* spectantes dieb. Merc. et Jov. h. IX—II moderari perget.

GUILIELMUS KLINKERFUES, Dr., speculae Regiae director, *astronomiam sphaericam* docebit, quaternis lectionibus hora XII; publice cum seminarii physico-mathematici sodalibus *observationes astronomicas* practicas instituet.

L. DE USLAR, Dr., *Chemiam pharmaceuticam* tradet quater p. hebd.; *Chemiam organicam in usum medicinae studiosorum* docebit diebus et horis postea indicandis.

GUIL. HENNEBERG, Dr., publice *de pabuli aestimandi et miscendi ratione* disseret d. Merc. h. XI—I.

RUDOLPHUS FITTIG, Dr., tradet *Chemiam organicam generalem* quater per hebd., diebus Mart., Merc., Jov. et Vener. h. XII—I.

F. KOHLRAUSCH, Dr., in laboratorio physico *Exercitationes practicas* d. Sat. h. VIII—XII et aliis horis commodis moderabitur; *Seminarii mathematico-physici* sodales observationibus physicis instituendis exercebit d. Jovis h. V.

E. MOLLER, Dr., *Historiam artis paedagogicae*, qualis *post aevi medii exitum fuerit*, enarrabit ternis p. h. lectt. diebus Lunae, Martis, Mercurii hora XII. Idem *de Scholis earumque administratione* eadem hora diebus Jovis, Veneris, Saturni disseret. Publice de *animarum immortalitate* disputabit singulis lectt. d. Mercurii h. III. *Societatem paedagogicam* moderabitur.

* * *

GUSTAVUS SCHWEPPE, rei equestris magister, *Artem equitandi* docebit, dd. Lunae, Martis, Jovis, Veneris et Saturni h. matutinis VII—XI et horis pomeridianis excepto d. Saturni IV—V.

EDUARDUS HILLE, Mus. Dir. Acad., *Harmonicen et theoriam artis musicae* horis auditaris commodis docebit. Praeterea ad Societates, quae *Singakademie* et *Orchesterspielverein* vocantur, invitat.

* * *

LUDOVICUS LUELFING, Dr., hora VII—VIII mat. sexies per hebdom. *doctrinam de Morbis animalium domesticorum*, adjunctis demonstrationibus clinicis in nosocomio veterinario, tradet.

* * *

FLOTO, Dr., Publice narrabit *historiam Aegyptiacam et historiam regnorum Orientalium* binis lectionibus. Privatim tradet *historiam Romanam* quaternis lectionibus.

### c. *Doctorum privatim docentium.*

JULIUS TITTMANN, Dr., Ord. phil. Assessor, *Historiam literarum apud Germanos recentiorem* docebit hora X.



S. LANTZIUS-BENINGA, Dr., Ord. phil. Assessor, *Botanicen generalem et specialem* sexies p. hebd. h. VII, *Botanicen medicam* h. VIII tradet. *Repetitorium ad Botanicen generalem et medicam* spectans, excursiones, demonstrationes et exercitationes practicas ad Botanicen systematicam spectantes instituet. — Privatissima offert.

TH. WÜSTENFELD, Dr. ph., *Historiam Italiae saeculorum XI et XII usque ad Ludovici Bavari* tempora bis per hebdomad. diebus Mercurii et Saturni hora X—XI publice tradet.

LUDOVICUS ADOLFUS COHN, Dr. phil., *De codicibus graecis et latinis* disseret atque exercitationes palaeographicas instituet bis per hebdom. hora V—VI. *Elementa diplomatices* tradet ter per hebdom. hora V—VI. *Historiam civitatis borussicae* enarrabit quater per hebdom. hora XI—XII. Publice *societatem historicam* moderari offert.

A. ENNEPER, Dr., tradet: *Theoriam integralium definitorum* quinquies per hebd. h. XI; *Theoriam Determinantium* publice exponet diebus Martis et Veneris h. X.

H. HÜBNER. Dr., Privatim *chemiam organicam* tradet, quater per hebd. diebus Lun., Mart., Merc., Jov. h. IX—X. Privatim *systemata chemiae tam antiquiora quam recentiora inter se* comparabit d. Vener. h. XII—I.

CAROLUS HATTENDORFF, Dr., *theoriam mathematicam gravitatis, electricitatis, magnetismi* quinis lectionibus hora IX tradet, *de functionibus sphaericis* gratis disseret die Saturni hora X.

J. DEDE, Dr., privatim quaternis scholis *disciplinarum et artium ad rem familiarem civitatis recte curandam pertinentium doctrinam* explanabit dd. Lunae, Mart., Jovis et Ven. h. X—XI; gratis *artis statisticae prolegomena* tradet d. Mercur. h. XII—I.

GUSTAVUS FERDINANDUS MEYER, Dr., privatim tradet: *Doctrinam de proprietatibus numerorum, imprimis doctrinam de proprietatibus formarum quadraticarum* quinq. p. hebd. h. III—IV; *De theoria aequationum differentialia partialia continentium* disseret quater p. hebd. h. IV—V.

B. MINNIGERODE, Dr., *theoriam aequationum differentialium partialium earumque applicationem ad physicen mathematicam* quater p. h. tradet.

ERNESTUS STEINDORFF, Dr., *Historicorum, qui apud Germanos medio aevo florebant, historiam,* duce Wattenbachii libro »Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter« enarrabit, ter per hebd. diebus Mart. Jov. et Vener. hor. IX—X. — *Exercitationes historicas* semel per hebd. die Mercurii hor. VI gratis instituet.

GUSTAVUS DRECHSLER, Dr., *Agriculturam generalem et specialem* privatim docebit quater per hebdom. h. XII. *Exercitationes oeconomicas* instituet horis defin.

A. LESKIEN, Dr., ~~Privatim~~ docebit *grammaticam linguae graecae* diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. XII—I; grammaticae *linguae Sanscritae* elementa diebus Martis, Jovis, Veneris h. IV—V.

D. PEIPERS, Dr., Privatim *Aristotelis metaphysicorum selecta capita* explicabit diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora V. *Societatis philosophicae sodalibus Platonis Philebum* interpretandum proponet.

OTTO BENNDORF, Dr., privatim *topographiam Romae urbis et Latii* tradet quater h. XII, *Iuvenalis satiras selectas* explicabit binis scholis h. XII; privatissime sed gratis *potiores inscriptiones graecas Athenis repertas* interpretabitur.

---

## V. ARTIUM EXERCITIA.

*Musicam*, *artem delineandi*, *linguas et literas* cultissimorum Europae populorum etiam alii homines eruditi et periti tradent, scholarum illi suarum rationes et tempora loco consueto indicaturi. *Saltandi* et *armorum tractandorum artes* magistri stipendiis regiis auctorati docebunt.

---

# SCHOLAE EX ORDINE HORARUM DESCRIPTAE.

| Hora. | O. THEOLOGORUM. | O. IURISCONSULT. | O. MEDICORUM. | O. PHILOSOPHORUM. |
|---|---|---|---|---|
| 6-7 | | | | Pharm. (6) *Wiggers.* |
| 7-8 | Hist. eccles. rec. (4) *Wagenmann.* Libr. Samuelis (2) *Besser.* | Jus Germ. (6) *Kraut.* Jus merc. (5) *Thöl.* Jus priv. Germ. (6) *Wolff.* | Botan. (6) *Grisebach.* Path. et Ther. (6) *Hasse.* Chir. gen. (5) *Lohmeyer.* | Bot. spec. (6) *Bartling.* Min. P. I. (5) *Sartorius de Waltershausen.* Ars lat. scrib. (4) *Sauppe.* Calc. diff. (5) *Stern.* Hist. philos. (6) *Peip.* Ars equit. (5) *Schweppe.* Morb. an. dom. (6) *Luelfing.* Bot. gen. et spec. (6) *Lantzius-Beninga.* |
| 8-9 | Hist. eccles. P. II. (6) *Duncker.* Hist. eccles. P. I. (6) *Wagenmann.* | Jus hered. (6) *Francke.* Hist. jur. Germ. (6) *Dove.* Jus naut. pr. (4) *Schlesinger.* Ant. jur. Rom. (4) *Bremer.* | Plant. off. (4) *Grisebach.* Curs. oper. (2) *Schwartz.* Exercc. clin. (4) *idem.* Path. et Ther. gen. (4) *Krause.* | Bot. med. (5) *Bartling.* Polit. (4) *Waitz.* Isag. in art. dr. Soph. et Ant. (3) *Wieseler.* Rer. rust. org. (4) *Griepenkerl.* Aequat. num. (4) *Stern.* Sem. math (1) *idem.* Gramm. ling. Angl. (4) *Th. Müller.* Ant. publ. Rom. (5) *Wachsmuth.* Exercc. pract. (5) *Bödeker.* Lyr. Graec. (1) *Krüger.* Log. (4) *Peip.* Geogn. (5) *de Seebach.* Exercc. pract. (1) *Kohlrausch.* Bot. med. *Lantzius-Beninga.* |
| 9-10 | Exercc. Reg. Sem. hom. (1) *Ehrenfeuchter.* Hist. dogm. (1) *Duncker.* Exercc. lit. (1) *Schöberlein.* Evang. tria pr. (5) *Wiesinger.* Pauli epist. (5) *Ritschl.* Ep. Pauli ad Rom. (5) *Gess.* Evang. Joh. (5) *Lünemann.* | Pand. (6) *Ribbentrop.* Jus Germ. (6) *Kraut.* Jus eccles. (6) *Dove.* Jus germ. pr. (3) *Sohm.* | Chem. (6) *Wöhler.* Exercc. clin. et policl. (6) *Baum.* | Prosem. (1) *de Leutsch.* Metaph. (4) *Lotze.* Plat. Conv. (4) *Sauppe.* Exercc. zool. (2) *Keferstein.* Exercc. pract. (2) *de Seebach.* Chem. organ. (4) *Hübner.* Theor. math. grav. (5) *Hattendorff.* Histor. Germ. hist. (3) *Steindorff.* |
| 10-11 | Exercc. Sem. hom. (1) *Wiesinger.* L. Jesaiani P. II. (3) *idem.* Eth. theol. (5) *Ritschl.* | Hist. jur. Rom. (6) *Schlesinger.* Jus civ. Bor. (6) *Bremer.* Jus Germ. pr. (5) *Sohm.* | Exercc. clin. et policl. (6) *Baum.* Exercc. clin. et policl. (6) *Hasse.* Phys. exp. P. I. (5) *Meissner.* Phys. gen. et spec. (6) *Herbst.* | Trigon. (4) *Ulrich.* Exercc. math. (1) *idem.* Cat. et Prop. eleg. (5) *de Leutsch.* Psalm. (6) *Bertheau.* Carm. Walth. (3) *G. Müller.* Theor. lum. math. (4) *Clebsch.* Hist. lit. rec. *Tittmann.* Hist. Ital. (2) *Wüstenfeld.* Theor. Determ. (2) *Enneper.* Funct. sphaer. (1) *Hattendorff.* Discipl. ad civ. cur. pert. (4) *Dede.* |
| 11-12 | Exercc. Reg. Sem. hom. (1) *Ehrenfeuchter.* Hist. dogm. (5) *Duncker.* Exercc. Sem. hom. (1) *Wiesinger.* Isag. in Nov. Test. (5) *Lünemann.* | Pand. (6) *Ribbentrop.* Instit. (6) *Francke.* Jus crim. (6) *Zachariae.* Theor. proc. civ. (6) *Hartmann.* Instit. (6) *Schlesinger.* Hist. jur. Germ. (5) *Frensdorff.* Jus patrim. conj. (1) *Sohm.* | Anat. gen. (3) *Henle.* Exercc. clin. et policl. (6) *Hasse.* Osteol. et Synd. (3) *Ehlers.* | Hist. Germ. lit. (3) *Bohtz.* Sem. Reg. philol. (2) *de Leutsch.* Theol. Vet. Test. (4) *Bertheau.* Geolog. *Sartorius de Waltershausen.* Exercc. phys. (1) *Listing.* Sem. Reg. philol. (1) *Sauppe.* Sem. Reg. paedag. (2) *idem.* Determ. (4) *Clebsch.* Sem. Reg. philol. (2) *Wachsmuth.* Pab. aest. (1) *Henneberg.* Hist. civ. Boruss. (4) *Cohn.* Theor. integr. def. (5) *Enneper.* |

| Hora. | O. THEOLOGORUM. | O. IURISCONSULT. | O. MEDICORUM. | O. PHILOSOPHORUM. |
|---|---|---|---|---|
| 12–1 | Hist. theol. rec. (4) *Ehrenfeuchter.* Dogm. christ. P. II. (6) *Schöberlein.* Eth. theol. (1) *Ritschl.* Dogm. P. I. (5) *Gess.* Ep. Pauli ad Rom. (5) *Zahn.* Evang. Marci (2) *Wellhausen.* | Doctr. de poss. (6) *Ribbentrop.* Jus publ. Germ. (6) *Zachariae.* Hist. opp. Germ. (2) *Frensdorff.* | Anat. syst. P. II. (6) *Henle.* Morb. Vener. (1) *Krämer.* Exercc. ophth. (2) *Schweigger.* Doctr. de Oper. ophth. (2) *idem.* | Opt. (4) *Listing.* Sem. archaeol. (1) *Wieseler.* Hist. artium (4) *idem.* Elem. doctr. statist. (1) *Wappäus.* Geogr. et Statist. Am. (4) *idem.* Sem. Reg. philol. (1) *Sauppe.* Pec. past. (4) *Griepenkerl.* Gramm. ling. Francog. (2) *Th. Müller.* Chans. de Roland (2) *idem.* Hist. Mus. recent. (2) *Krüger.* Astron. sphaer. (4) *Klinkerfues.* Pab. aest. (1) *Henneberg.* Chem. org. gen. (4) *Fittig.* Hist. art. paedag. (3) *Moller.* Schol. admin. (3) *idem.* Syst. chem. (1) *Hübner.* Proleg. art. statist. (1) *Dede.* Agric. gen. et spec. (4) *Drechsler.* Gramm. ling. Graec. (4) *Leskien.* Topogr. Rom. et Lat. (4) *Benndorf.* Juven. satir. sel. (2) *idem.* |
| 1–2 | | Theor. proc. civ. (6) *Grefe.* | | |
| 2–3 | Symb. comp. (2) *Matthaei.* Symb. eccl. Luth. (1) *idem.* | | Oss. fr. et disl. (2) *Baum.* Exercc. ophth. clin. (4) *Schweigger.* | Ling. Syr. et Aethiop. (4) *Bertheau.* Prosem. (1) *Sauppe.* Pharmacogn. (5) *Wiggers.* |
| 3–4 | Exercc. catech. (1) *Ehrenfeuchter.* Theol. pract. P. II. (5) *idem.* | Jus matr. (2) *Dove.* | Rem. eff. (5) *Marx.* Chir. P. I. (1) *Baum.* Gynaecol. (4) *Schwartz.* Ophthalmolog. (4) *Schweigger.* Pharmacolog. (5) *Husemann.* | Hist. med. aev. (4) *Havemann.* Gramm. ling. Theot. hist. (5) *G. Müller.* Anat. comp. (4) *Keferstein.* Anim. immort. (1) *Moller.* Doctr. de propr. num. (5) *Meyer.* |
| 4–5 | Theol. pract. (4) *Schöberlein.* | Coll. proc. pract. (2) *Briegleb.* Civ. pract. (2) *Thöl.* Relat. (2) *Hartmann.* | Chir. P. I. (5) *Baum.* Morb. psych. (1) *Meyer.* Exercc. clin. (2) *idem.* Repet. *Husemann.* | Psych. (3) *Bohtz.* Hist. Germ. (4) *Waitz.* Carm. Sanscr. (3) *Benfey.* Ling. Zend. (2) *idem.* Theor. math. grav. (4) *Schering.* Hist. art. plast. (5) *Unger.* Rud. rhet. art. (2) *Krüger* Paedag. art. hist. (2) *idem.* Theor. aequat. (4) *Meyer.* Gramm. ling. Sanscr. (3) *Leskien.* |
| 5–6 | Exercc. catech. (1) *Wiesinger.* | Coll. proc. pract. (2) *Briegleb.* Civ. pract. (2) *Thöl.* Relat. (2) *Hartmann.* | Exercc. chir. (6) *Baum.* Phys. gen. et Embr. (1) *Meissner.* Morb. psych. (1) *Meyer.* Exercc. clin. (2) *idem.* Balneolog. (3) *Husemann.* Toxicol. (3) *Marmé.* | Geom. pract. (4) *Ulrich.* Obs. phys. (1) *Weber.* Phys. exp. P. I. (3) *idem.* Hist. philos. (5) *Lotze.* Hist. Graec. (4) *Wachsmuth.* Obs. phys. (1) *Kohlrausch.* Cod. Graec. et Lat. (2) *Cohn.* Elem. diplom. (3) *idem.* Arist. metaph. sel. cap. (4) *Peipers.* |
| 6–7 | Cant. eccl. (1) *Schöberlein.* Soc. dogm. (2) *idem.* Soc. theol. (1) *Wagenmann.* Coll. repet. (1) | | Phys. gen. et Embr. (1) *Meissner.* Electr. vis ther. (2) *Marmé.* Venen. e regn. anim. (1) *idem.* | Geom. pract. (4) *Ulrich.* Obs. phys. (1) *Weber.* Phys. exp. P. I. (3) *idem.* Mon. Aegypt. (1) *Brugsch.* Exercc. Francog. scrib. et loq. (4) *Th. Müller.* Soc. zoolog. (1) *Keferstein.* Soc. philos. (2) *Peip.* Exercc. hist. (1) *Steindorff.* |

Scholae, quarum horae non erant indicatae, in hunc conspectum receptae non sunt.